

rex non habet aliud jus supra mutationem numismatis, nisi quatenus habet jus, et potestatem constituendi mensuram legitimam, et debitam pro commutationibus faciendis in republica, sicut etiam constituit pondera, et libras, et alias mensuras tam liquidorum, quam aridorum, quæ publica auctoritate, designantur, et aliis etiam rebus pretia taxantur a principe. In his autem pretiis, et mensuris taxandis non potest rex pro libito mutationes facere, sed juxta proportionem cujusque rei, et valorem, attentis circumstantiis loci, et temporis, et servata æqualitate, et justitia, quia in his omnibus rex solum procedit administrando justitiam, et unicuique tribuendo quod suum est. Si ergo numisma, seu pecunia est mensura rerum venalium, et commutatum in suo valore, non potest princeps pro sua voluntate mutare illam, sed juxta valorem legitimum, et proportionatum, et justum. Unde per talem mutationem, vel reducit, et manet illa moneta intra suum legitimum, et justum pretium seu valorem hic et nunc, vel non manet. Si non manet, committitur injustitia, quia ponitur pro mensura id quod proportionem, et valorem non habet, ut mensura sit. Si manet intra legitimum valorem, aut ad illum reducit, utique fieri potest, nisi tantum damnum interveniat in illa diminutione, vel mutatione monetæ, quod magis damnificetur republica seu particulares ex tali mutatione, quam recipiant beneficium ex reductione illa, tunc enim non est licitum sic mutare pecuniam aut majori moderatione id faciendum est ita ut damnum evitetur. Et sic non potest uti illa opinione ex qua damnum sequatur, licet probabilis videatur, sed debet uti probabiliori.

XLVII. Sed quia potest contingere aliquis casus in quo id quod se-

cundum se probabilius est, et securius, inspecta aliqua circumstantia, non sit in praxi ita probabile, et prudens, supposito tali accidente, et circumstantia, ideo in hoc multum oportet relinquere prudentiæ, quæ de his moralibus arbitratur, et judicat secundum circumstantias occurrentes. Potest enim respublica in summo discrimine versari propter inopiam pecuniæ, et judicari potest prudenter, ut ad tempus augeatur valor pecuniæ præsentis, vel ex alia materia minoris valoris subveniat. In gravibus enim reipublicæ periculis, gravia etiam remedia oportet adhiberi. Potest etiam judicari utile quod augeatur pecuniæ valor, ne ita effuse extrahatur a regno, sed potius in illo conservetur, et aliunde adportetur, dummodo intra limites justitiae et proportionati valoris maneat. Justus enim valor suam habet latitudinem suosque gradus. Pecunia autem semper eo confluit ubi plus æstimatur, et valet, inde vero facile extrahitur ubi minorem habet valorem. Sed tamen si ex aliquo casu, vel accidente moneta vitiosa fiat, et illegitimi valoris, vel ponderis, tenetur princeps quam cito possit ad legitimum valorem reducere, ut in textu supra allegato rescripsit regi Aragoniæ Innocentius III.

XLVIII. Dico quinto: In successione ad regnum, si sint probabiles sententiæ pro diversis habentibus, vel prætendentibus jus ad regnum, si tale regnum, seu principatus sit subjectus alicui superiori, puta imperatori, aut regi majori, sicut ea quæ dantur in feudum, debet id judicari per talem superiorem, qui est iudex legitimus illius controversiæ. Si autem lis inter duos principes supremos, vel non subjectos alicui tertio, nec inter se, et regnum ipsum non sit feudatarium, nec sub-

jectum alteri, debet judicari lis ista per iudices ab ipso regno deputandos, vel a rege decedente deputandos, si forte illos designavit. Et hoc per se loquendo. Si autem contendit persona privata cum rege de successione alicujus regni debet illa persona expectare iudicium sui superioris respectu cujus privata persona est, et iudicium ab eo designatorum. Quod si principatus sit alteri superiori subjectus ut ducatus, marchionatus, etc. debet per illum superiorem id judicari, et per iudices ab eo deputatos, sicut quotidie fit in litibus cum rege.

XLIX. De hac conclusione videndus est Montesinos hic disp. xxix, q. v, cccxxvii, et sequentibus, citatque Vazquez hic disp. lxiv, cap. iii, et Navarrus in summa, cap. xxv, num. iv, qui docet hujusmodi litem dirimendam esse per iudices arbitros. Sed nos dicimus, quod per se loquendo debet judicari per iudices deputatos a regno, vel a rege ad quem spectat, licet per accidens in aliquo casu debeat judicari per arbitros.

L. Et quidem prima pars conclusionis manifesta est, quia quando cumque lis aliqua, seu controversia est in statu, quod possit dirimi per iudicia, et non per arma, sic faciendum est, eo quod actus justitiæ, qui jure armorum decernitur debet evitari quantum possibile fuerit propter damna multorum innocentium fere inevitabilia, et ideo solum potest eligi ultimo loco, et quando aliud medium non est possibile. Si ergo possit per iudices terminari, sive ordinarios, sive arbitros hoc prius eligendum est. Cum autem regnum aliquod habet superiorem ad quem spectat iudicium de illius successore, est in statu ut possit ista controversia per iudicium, et non per bellum determinari, cum habeat legitimum iudicem ad quem id pertineat; ergo hoc ita faciendum

est in conscientia, antequam ad arma procedatur.

LI. Secunda vero pars conclusionis probatur, quia quando regnum non habet superiorem quem recognoscat, et est lis, seu controversia de successore, tale regnum habet jus se gubernandi, et quasi eligendi caput, quia hoc est naturalis juris, ut quælibet communis humana non subjecta alteri superiori, possit sibi providere de capite, a quo gubernetur, et in quem tranferat suam potestatem. Ergo existente dubio et controversia de successore regni, cum uterque non possit simul gubernare, et hoc regnum non habet superiorem a quo gubernetur devolvitur ad ipsum regnum, ut suo naturali jure sibi provideat in hoc casu, et sic iudicet controversiam illam de successore, quia si ipsum regnum habet jus ut sibi provideat de gubernatore eligendo illud quando vacat, etiam habebit ad discernendum, quando est dubium. Quod et factum est in Aragonia cum adjudicatum fuit regnum infanti Castellæ Fernando per iudices ab ipso regno deputatos in oppido Caspensi, quorum unus fuit D. Vincentius Ferrerius ordinis Prædicatorum. Et iterum in regno Portugaliæ per obitum regis Ferdinandi iudicatum est in comitiis regni, vacasse tunc regnum, et devolutam esse electionem ad ipsum regnum, fuitque electus Joannes primus, licet tandem ad arma devotum sit.

LII. Quæ resolutio currit, sive prætensores regni sint privatæ personæ, sive alias supremi principes inter se non subjecti, quia in hoc tenentur juri ipsius regni stare, non juribus suorum regnorum, quæ alias possident, hoc enim est per accidens. Sicut quando rex litigat cum alia persona privata etiam jure ipso particularis personæ censetur, non jure regis: sic cum regnum in

hoc casu sit iudex illius controversiæ, qui non recognoscit superiorem non debent præensores regni, si alias sint principes supremi, illud iudicium declinare, et se iudices constituere.

LIII. Nec obstat, quod princeps supremus non debet esse subditus illis iudicibus illius regni, quia hoc videtur contra ejus supremam auctoritatem.

LIV. Respondetur enim quod non subditur illis iudicibus quantum supremus princeps, sed in quantum præensor regni, et habens jus dubium de illo: sic enim regnum ipsum iudicare debet de talibus præensoribus regni, et de eorum iuribus, ac titulis cum habet jus se conservandi, et dirigendi in regimine suo. Poterunt autem tales iudices juxta probabilitatem uniuscujusque iudicare id quod convenientius est regno, et juxta leges ipsius facere justitiam.

LV. Et idem dicendum est in casu, quo rex ultimus decedens designaverit iudices ad determinandam hanc causam, ipsi enim quasi iudices regni sunt, et legitima auctoritate designati fuerunt, quia rex dum vivit habet potestatem tractandi de successore, potestque ad id delegare iudices. Unde et in successione regni Portugaliæ designati fuerunt iudices, qui pronuntiaverunt Philippum II, esse legitimum successorem, licet ipse arma sumpserit propter rebellantes aliquos, et impediens jus suum, qui non erant justii præensores regni.

LVI. Quod si dicas: Casu quo rex decessor non designaverit iudices, sed ab ipso regno debeant designari, ad quem pertinebit tales iudices designare, ad optimates, an ad regni comitia, vel quis debet ea congregare,

LVII. Respondetur in hoc debere attendi leges, et consuetudines re-

gnorum, quæ pro talibus casibus disponunt, et illas esse sequendas. In quibusdam enim regnis id pertinet ad optimates, et aliquis inter illos est ad quem pertinet eos congregare, ut in Polonia, quando eligitur rex, et fit congregatio a primario archiepiscopo Gnesnensi. In aliis pertinet etiam ad comitia regni, et ad reliquos habentes jus suffragii in negotiis regni. Et denique quicumque habent jus eligendi, seu jurandi regem in casu vacationis regni, etiam habebunt jus designandi istos iudices, et convocari debent, vel a supremo consilio regni, vel ab aliquo alio, ad quem de lege, aut consuetudine regni spectat ista convocatio.

LVIII. Diximus autem in conclusione debere hoc iudicari a iudicibus regni sic deputatis per se loquendo. Nam per accidens, et in aliquo casu, non repugnat id debere reduci ad iudices arbitros, ut opinatur Navarrus, nempe si iudices illi, vel aliquis, aut aliqui eorum sint suspecti, et juste timeatur quod alicujus partis justitiam pervertent; tunc enim non tenetur illorum sententiam expectare, et quod pars adversa mittatur in possessionem, et majus robur contra acquirat. Et sic potest petere, quod vel designetur alius iudex non suspectus, vel ad arbitros iudices recurratur. Quod si ei non concedatur, jam fiet illi injuria, et habebit sufficientem causam gerendi bellum pro defensione sui juris, et juste possidebit, quod jure talis belli acquisierit.

LIX. Tertia pars conclusionis de privata persona contendente pro jure regni adversus alium regem probatur, quia ista privata persona habet superiorem, cui subjectus est, alias privata persona non esset; ergo et jus ejus debet subjectum esse tali superiori, et ab eo iudicari. Talis autem superior debet esse, vel

regnum ipsum cujus præensor est, si sit vacans, et careat rege, vel rex ipse possidens contra quem præendit; vel si sit regnum, et feudatarius, seu alteri subjectus, rex ille, aut princeps, cui regnum subjectum est.

LX. Nec obstat, quod rex ipse possidens, contra quem præendit, est pars, et non potest esse iudex in causa propria. Respondetur enim quod supremus princeps non recognoscens superiorem, etiam in causa propria iudex, est quia potest delegare iudices, qui cognoscant de illa causa, sicut quotidie in civilibus causis in quibus rex ipse est pars formalis, iudices, et consilarii ab eo delegati cognoscunt de illa causa in iudicio. Quando autem in negotio de jure successionis ad regnum proceditur, iudices isti non tam regis, quam regni illius iudices sunt, quia etiam rex vices regni habet, et potestate a regno accepta fungitur, et sic tales iudices recte possunt procedere in hac causa, in qua rex est pars formalis in successione regni. Bene verum est, quod si isti iudices sint suspecti, et rationabiliter ab alia parte recusentur, debent alii eligi, vel ad arbitros reduci, ut supra diximus, tenebiturque rex in conscientia, et justitia id facere, alias causa illa injuste iudicaretur, et ipse non tuta conscientia incipiet possidere, quia non facit sufficientem diligentiam, quia nec justam.

LXI. Hæc omnia procedunt quando sunt probabiles sententiæ pro diverso jure præendentium. Nam si pro aliqua parte non sit solum probabilitas sed certitudo, non tenetur expectare sententiam, sed statim poterit invadere possessionem regni, et si impediatur, armis debellare, et multo magis si sit in possessione, et ab ea deturbetur injuste. Quod si aliquis habeat non so-

lum probabile jus, sed probabilius altero, tenebitur expectare sententiam iudicum, an poterit statim armis agere?

LXII. Respondetur non posse, si iudices sint parati juste, et recte iudicare, nec sint suspecti; semper enim tenetur evitare quantum possibile fuerit actum bellandi propter damna gravissima, etiam in innocentes, inde provenientia. Si autem rationabiliter timeat non sibi ministrandam justitiam, tenetur alios iudices postulare non suspectos, vel iudices arbitros. Quod si sibi denegetur, poterit ad arma procedere, utpote injuria affectus in tali denegatione justitiæ, nec restat alia via ut sibi justitia ministretur.

LXIII. Quod si petas, an ipsi iudices teneantur sequi inter partes illas litigantes de regno id quod probabilius est; an relicto probabiliore, id quod solum est probabile,

LXIV. Respondetur in hoc iudicandum esse cum magna circumspectione propter bonum commune, quod in hac parte periclitari potest: successor enim in regno non succedit pro suo bono particulari, sed pro communi. Itaque si utriusque jus sit probabile practice, licet aliquod sit probabilius, poterunt quidem iudices attendendo ad justitiam commutativam partium inter se sententiam ferre pro parte probabili, relicta probabiliore, vel e converso, si vere utrumque probabile est practice, et prudenter. Attenta autem justitia legali quæ respicit bonum commune, tenentur ex duobus, vel pluribus habentibus jus probabile, vel probabilius, eligere quod bono communi hic et nunc videtur convenientius. Et meminisse debent tales iudices se non esse practice iudices, sed etiam quasi electores regni. Attenduntur enim in illo actu non solum jura partium, sed